

XIV. 4.





1.

DE
DIFFICILI MORBORVM
COGNITIONE

AVCTORITATE ET CONSENSV
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
PRAESIDE

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMI PRUSSIAE REGIS A CONSILIIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPH. NATVR. PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
FACVLT. MEDICAE SENIORE, REGIORVM ALVMNORVM EPHORO,
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAE-
SIDE, ET REGIAR. SOCIET. SCIENTIAR. ANGLICAN.
BEROLINENS. ET MONSPELIENS. SODALI,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMSQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS

D. K. OCTOBRIS A. S. R. c1010 cclxiv.

PVBLICE DISPVTABIT

AVCTOR

CHRISTIANVS GOTTLOB GVMPERT,

MEDERECIO - POLONVS.

HALAE AD SALAM

LITTERIS CVRTIANIS.



DE
DIFFICILI MORBORVM
COGNITIONE

AVCTORITATE ET CONSENSV
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
PRAESIDE

D. ANDREA ELIA BUCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILIS
POTENTISSIMI PRUSSIAE REGIS A CONSILII INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE PRAEPOSITUS, ORDINARIO,
BAGAE MEDICAE SENIORS REGIORVM ALIUMQVAM SENIORO,
IMPERIALI ACADEMIAE NATVRAE HISTORIAE ET
SICUT ET REGIAE SOCIETATIS AUSTRIACAE
MEMBRVS ET HONORARIIS SOCIJ

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMSIVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS

D. K. OCTOBRE A. R. M. C. D. C. C. X. I. V.

PUBLICO DISPUTABIT

AVCTOR

CHRISTIANVS GOTTLOB-CAMPERT

MEDICVS - POTONVS

HAER AD SALAM

LETTERR. BERTHOLDI





Q. D. B. V.

§. I.



Tanta circa aegritudinum cognitionem saepe numero
occurrit difficultas, ut magnum Medicinae hac ex
parte defectum numquam satis lugere potue-
rint summi in arte salutarum Viri. Neque sine
ratione hac de re conquestos esse, rationali cuilibet Medico fa-
cile elicescet. Omnes enim totius Medicinae partes co-
tendunt, ut sanitas conferretur, morbi autem repellantur, mitigentur,
curentur. Omnes, veluti Medicinae radii in hoc puncto, tan-
quam in suo centro, conveniunt. Quod si vero hoc quis,
quaeso, non videret, Medicinae perfectionem tantum concuti,
eiusque laudes labefactari, quantum summus ille Medicinae finis

supra

A 2

im-



peditur? Nonne vero hic in tanta morborum obscuritate impediri debet? Quomodo morbum, ut rationalem Medicum decet, curare sine cognita illius natura poteris? Quomodo aegrum, nisi morbum, quo laborat, intellectum habeas, restituere et sanare poteris? Quodsi itaque morborum cognitio ingentibus prematur difficultatibus: magnum exinde detrimentum Medicinam capere, luce meridiana clarius perspicitur. Prius vero in praesenti Specimine inaugurali ostendere allaborabo. Quamquam enim huc et illuc causas ab auctoribus expositas invenias, quae difficultatem quandam in morbis cognoscendis pariant, horumque distinctam cognitionem impediant: non inutiliter tamen hanc materiem a me perorari, intelligent ii, quibus volupe fuerit, cum Auctorum monumentis hanc meam conferre opellam. Breuiorem dicendi rationem, quam rei permittit dignitas, inuenient plerumque, ut de insufficientia causarum, quas adferunt, nil dicam. Res etiam ipsa adeo et magna et digna, ut numquam poterit sine utilitate investigari.

§. II.

Quis vero usus, quae utilitas ex huius materiei tractatione ad Medicinam redundat? Quid refert, quid iuvat difficilioris morborum cognitionis causas scire, nisi auxilia, quibus tolluntur, nota simul sint? an aegrum forsitan coecum, surdum curabis, nisi causas morbi, coecitatis aut surditatis, exacte exponere velis? Possent forsitan haud pauci Lectorum ita iudicare, atque

atque sic omnem hanc, quam suscepi, indagacionem pro inutili venditare. Caue vero existimes, hoc cum veritate consentire. Insignem enim hoc scrutinium praestat vtilitatem. Nam *primo* nonnullae sunt causae, quae difficilem reddunt morborum cognitionem, quas vero remouere Medici possent. Harum ergo cognitio ideo est necessaria, vt simul intelligatur, nunquam plenius morborum naturam perspici posse, nisi eadem extirpentur. *Secundo* hanc haber haec indagatio vtilitatem, vt Medici cauti reddantur, dum Pathologiae certitudinem nimium saepe superbe extollunt. *Tertio* cautos nos reddit in diiudicandis aliorum de morbis iudiciis. Nemo nescit, haud raro contingere, vt Medicus in cognoscendo morbo erret, quem demum errorem aliae, quae circumstant aut subsequuntur, res declarant. Quam ambitiose tunc alii faeuunt! Quam arroganter contra Medici incitiam clamant! Intelligant hi ex subsequente tractatione, prudentissimum Medicum in morborum cognitione errare posse, atque definant sic aliorum ruinae suam superstruere famam! *Quarto* via discitur, nunquam in cognoscenda morborum natura pedem figi debere. Dum enim, licet nonnulli morbi detecti sint, alii adhuc nondum agniti supersunt semperque relinquuntur, quouis etiam tempore multa Pathologo facienda, cognoscenda, perscrutanda restant. Tandem *quinto* arctos cognitionis humanae limites ostendit, viuo quasi repraesentato exemplo; atque dum multae occurrunt causae, quas tollere in hominis potestate non situm est, quae nihilominus certitudinem in cognoscendis morbis impediunt, hinc etiam

obstruunt



perspicitur, quam indigne, quam iniusta ratione agant ii, qui Medicos, ob incertitudinem, quae in ambitu Medicinae reperitur, alto supercilio contemnunt, horumque vitis omnes artis, quam profitentur, imperfectiones adscribunt. Absit! Natura hominis, natura artis saepe has producit imperfectiones. Sufficiens ergo me demonstrasse credo, hanc tractationem non omni destitutam esse utilitate. Ad rem ipsam ergo accedo.

§. III

Morbum cognoscere, denotat, naturam illius et praesentiam ita in subiecto quodam scire, ut nullus dubitandi locus superfit. Medicina nempe debet esse scientia. Quare eius asserta adeo certa esse debent, ut nullus plane dubiis locus relinquatur. Morborum autem cognitio est pars Medicinae. Haec itaque ita comparata esse debet, ut dubiis irresolubilibus labefactari nequeat. Haec vero cognitio praeterea ex duabus quasi constabit partibus. Prior circa naturam morbi versatur. *Natura enim morbi* est complexus omnium illarum morbi determinationum, quae illi, medice considerato, competunt. Nunc neminem morbum quendam scientifice cognoscere dici potest, nisi qui praedicata illius seu determinationes ita, ut scientia requirit, intelligit. Ergo, ad medicam morbi cognitionem obtinendam, naturam illius exacte indagare debemus. Posterior in determinanda morbi praesentia in subiecto quodam occupatur. Quum enim Medicina ad felicitatem generis humani et ad san-

andos

nandos morbos adhiberi debeat: nemo verus Medicus dici potest, nisi qui Medicinam, in abstracto quasi cognitam, ad speciales casus, quos medicina vita affert, adplicare potest. Non sufficit ergo naturam morborum in abstracto mente tenere; scire quoque conuenit, an morbus, quo detinetur aeger, idem ille sit, qui abstracta idea cognoscebatur, seu, quod idem est, morborum praesentia in aegris solide cognosci debeat. Ex his igitur simul sumtis, manifesto elucescit, quam vera sit notio, quam de cognitione morbi suppeditauimus, quamque eleganter cum natura Medicinae conspirat.

§. IV.

Dum ergo affirmo, difficilem esse morborum cognitionem (§. I.), duo sunt, quae volo momenta. *Primo* adsunt impedimenta, quae efficiunt, vt multorum morborum veram naturam tanta cum certitudine, quantam Medicina requirit (§. III.), cognoscere nequeamus. *Secundo*, saepe contingit, vt et vitia Medici, de morbi cuiusdam in aegro praesentia firmum nequeant iudicium ferre (§. citat.). Horum demonstrationi ergo mea innititur thesis (§. I.)

§. V.

Dantur adminicula quaedam, quibus vtuntur in cognoscendis morbis Medici (§. III.); haecque ex subsequenibus suis patebunt.

parebunt. Quodsi haec adminicula semper sufficientia essent: omnimodam omnium morborum cognitionem certissimam redderent, atque thesis, quam defendo (§. I. IV.), falsissima foret. Quodsi contra ea ostendi possit, haec adminicula saepe esse insufficientia, quid? quod alias concurrere res, quae certam multorum morborum cognitionem esse non sinunt: adeo tunc certa erit, adeo consummata mea propositio, ut de eadem dubitare nefas esset. Quae cum ita sint, duo mihi momenta in hoc Specimine exponenda sumo. *Primo:* Omnia illa adminicula, quibus ad impetrandam morborum veram cognitionem utitur Medici, saepe sunt insufficientia. *Secundo:* Concurrunt praeter hoc alia adhuc impedimenta, quae certe morborum cognitioni obiciuntur. Ab illo sermonem meum ordior. Faxit vero Deus T. O. M. ut haec mea conamina felicissime cedant.

quibus sunt. §. VI. quibus sunt.

Duo quidem sunt Medico data principia, quibus ad indagandam veram morborum naturam et praesentiam in individuo quodam uti potest, ratio nimirum et experientia. Vtrumque satis est limitatum et arctis cancellis circumscriptum. Possem itaque priorem meae Dissertationis partem (§. anteced.) ita pertractare, ut utriusque principii limites, respectu morborum cognitionis, ostenderem. Quum vero satius sit ad specialiora hic descendere, quam in generalibus subsistere: specialiora potius adminicula, in morbis cognoscendis a Medico adhibenda, diiudicanda

dicanda esse censeo. Offeram itaque illa, ita tamen, ut cuiuslibet insufficientiam ea, qua fieri id potest, sermonis breuitate demonstrem.

§. VII.

Sensus primum illud, quod hic habetur (§. VI.), adniculum praebent. Non dubitamus amplius de eo, quod sensibus vere usurpamus, neque de eo iure et merito dubitare possumus. Quare sensus talem efficiunt cognitionem, quae dubiis nullum relinquit locum: ergo eam, quae ad Medicinam requiritur (§. III.). Fac itaque, dari morbos, quorum natura et praesentia in sensus cadit: adeo tunc certo illi per sensus cognosci possunt, ut impetrata hinc certitudo cum dignitate Medicinae conspiret (§. cit.). Dantur vero eiusmodi morbi. Video sanguinem e naribus in subiecto quopiam stillantem, neque dubito hoc subiectum haemorrhagia narium laborare. Video tumorem externum, tactu eundem aut durum, aut mollem inuenio. Certo certius ergo exinde concludo, subiectum tumore externo aut duro, aut molli affectum esse. Patet exinde, posse per sensus quorundam morborum praesentiam in indiuiduo cognosci. An vero etiam naturam? Omnino. Dum purpuram, petechias, vibices, aliaque exanthemata video, tango, et naturam illorum exin intelligo. Dum tumorem conspicio, ideam illius impetro, quae eius naturam concernit. Sensus ea propter ita sunt comparati, ut quorundam morborum naturam

B
er

et praesentiam cognita reddant. Non possumus ergo dubitare, quin etiam vera sint adminicula, quibus Medicus ad intelligendam naturam et praesentiam illorum uti possit.

§. VIII.

Vtinam hoc quoque adminiculum semper esset sufficiens! Vtinam latiore haberet ambitum! Quam vero restrictum et limitatum sit, ex sequentibus perspicere poterimus. *Primo* ad paucos tantum morbos quadrat; innumeri supersunt, qui per sensus, sibi nempe relictis, cognosci nequeunt. Omnis quidem morbus, dum functiones corporis humani laedit, in sensus cadit. Tunc vero ex effectibus suis, non sibi relictus, per sensus intelligitur, qua de re hic tantum loquor. Atque hoc demum respectu affirmo, innumeros esse morbos, qui per sensus cognosci non possunt. Quot enim sunt corporis humani aegritudines, quae sensuum aciem subterfugiunt! Febres, dolores, spasmi, alique morbi, non sibi relictis, sensuum ope perspiciuntur. Erit ergo ideo hoc adminiculum, quod a sensibus desumitur, insufficiens. *Secundo*, sensus equidem possunt quorundam morborum naturam (§. VII.), sed non omni suo ambitu consideratam, deregere. Sensus enim nonnulla tantum, non omnia rerum praedicata ostendunt. Cognoscitur per sensus vis materiae electricae et magneticae. Quantum autem in his nihilominus obscurum relinquitur! Idem ea propter dicendum erit,

erit, de morbis, quorum natura per sensus intelligitur. Dum exanthemata corporis adspicio et tango, quaedam, non omnia illorum praedicata distincte percipio (§. anteced.). Vera illorum causa, modus fiendi, aliaque extra sensuum sphaeram posita esse inveniuntur. Quod etiam de tumoribus valet (§. anteced.). Nunc natura morborum sita est in complexu omnium illarum determinationum, quae morbo competunt (§. III.). Sensus vero non omnes hasce morborum determinationes declarare queunt (per anteced.). Ergo non possunt quoque sensus omnimodam morborum naturam cognitam reddere. Quamobrem quodque adminiculum, ab iisdem ad cognoscendos morbos petitur, insufficientis erit. *Tertio* saepe contingit, ut hominum malitia hoc adminiculum insufficientis reddat. Dum nempe sensuum ope observamus, in individuo quodam adesse praedicata, quae huic vel illi morbo competunt: hinc concludimus, morbum determinatum esse perfectum. Fac vero, praedicata illa fingi posse: colliges tunc ex illius praesentia nihilominus morbum praesentem esse, qui tamen vere praesens non est. Errabis ergo, licet sensuum verum adsit testimonium. Nonne itaque soli sensus ad cognoscendos morbos sunt insufficientes? Epilepsia morbus est, cuius praesentiam sensibus evincere possumus, ita vero simul est comparatus, ut malitiosi homines illius praedicata adeo egregie fingere queant, ut optimus saepe Medicus dolum subesse actutum perspicere non possit. Lege casus illos, quos *Illustris de HAEN*, Ration. med.
dend.



dend. Art. V. Cap. IV. recensuit: miraberis hominum malitiam in fingenda epilepsia. Inter alia refert exemplum foeminae scelestissimae, quod, ut antea dicta magis corroborentur, non possum non propriis *Illustris Viri*, verbis adducere. Postquam dixerat, igne morbi praesentiam non fictam detegi posse, haec simul adfert: *Attamen et morbum fictum esse, et ne igne quidem posse detegi, non caret exemplo. Scelestissima femina 20 annorum, quae animi gratia vetulam truculenta manu occiderat, facta in carcere est, horridam epilepsiam, qua longo tempore laborare credita fuerat, se impio animo finxisse, id quod etiam experimento confirmavit. Morbum enim simulare iussa, ita simulavit, ut quivis fere crederet, fictum morbum in verum demum abiisse; iussaque in medio paroxysmo surgere, et tranquille ambulare, surrexit, ambulavit. Hanc nos examinantes, eadem audacter proferentem, et repetentem audiuimus. Et quod res est, ostendit nobis tres foedas in manu cicatrices, quas ipsi igne Chirurgus, vrendo veritatem exploraturus, olim inusserat, quasque inuri sibi adeo tranquille pertulerat, ut ultra nemo de certitudine epilepsiae dubium moueret. Quis crederet, remedium, adeo ceterum infallibile, quandoque turpiter fallere posse? Sufficiens, credo, ex allato exemplo patet, Medicum, solum sensuum testimonium sequentem, ad morbi saepe absentis praesentiam concludere debere; hinc sensus ad morbos cognoscendos ideo quoque esse insufficientes.*

§. XI.

Secundum, quo ad cognoscendos morbos Medicus vitur adminiculum, *sectio* est *anatomica*, quam inter et primum adminiculum magna est conuenientia. Quamdiu homo uiuit, fere nil nisi externae peripheriae mutationes sensibus vsurpare possumus; interiores mutationes vel plane non, vel non per sensus inelarescunt. Mortuo vero homine, et instituta sectione, interiora etiam scrutari, horumque mutationes, sensibus obseruabiles, adnotare possumus. Facile hinc pater, sectione anatomica latentes etiam in interioribus morbos, tam quoad praesentiam, quam (dum phaenomena in corpore adparentia conspiciuntur) quoad naturam suam cognosci posse. Quumque hoc etiam scrutinium sensibus innitatur: sectio etiam anatomica tantam certitudinem respectu morborum cognoscendorum dabit, quantam Medicina requirit (§. III. VIII.). Erit ergo, ad cognitionem morborum medicam impetrandam, verum auxilium. Quid? quod dum primo (§. VII.) adiungitur, huius ambitum latiore reddidit, atque efficit saepe, ut qui antea, uiuo adhuc homine probabiliter tantum, aut plane non cognoscebatur morbus, certo certius nunc innotescat. Dum duo aegri, ut eos curet, BOERHAAVIO sese offerunt, quorum vnus ruptura oesophagi horrenda, alter ingenti thoracis tumore laborabat, ne ipsius quidem BOERHAAVII, tanti Medici, sagacitas horum morborum veram indolem detegere potest. Vtrumque vero sectione anatomica cognouit. Vid. *Hermannii* BOERHAAVII



Opuscul, omnia &c. Hagae Comit. 1738. pag. 98. seqq. Nul-
lum iraque est dubium, quin sectio anatomica egregium sit ad
cognoscendos morbos auxilium. Factum inde quoque est, vt Medici
a longinquo iam tempore illius vtilitatem et dignitatem perspexerint.

§. X.

Sed huius quoque auxilii insufficientia accusanda est.
Etenim *primo* non semper, vbi foret necessaria, adhiberi sectio
potest. Quis enim est, qui nesciat, quod plurimi mortuos se
per sectionem institutam laedere credant? Cum ergo tam saepe
intermitti debeat, eadem non semper, vbi tamen nihilominus
necessum foret, ad cognoscendos morbos vti possumus. Erit
itaque hoc respectu insufficientis auxilium. *Secundo*, ne omnes
quidem morbi per eandem detegi possunt. Quam multi dantur
morbi, qui ex mala fluidorum mixtione ortum suum trahunt?
Sed hanc sectio anatomica, sibi relicta, non aperit. Quam
multae existunt solidarum partium aegritudines, quae, instituta
etiam anatomica sectione, obscurae manent? Quis v. g. sensorii
communis aberrationes cultro demonstrabit anatomico? Quam
saepe etiam contingit, vt laesio, quae mortem induxit, adeo
exigua sit, vt sensuum aciem subterfugiat? Quam frequenter
fit, vt morbus, causa qui erat mortis, a morte euanescat? Fa-
cile ergo hinc elucescit, sectionem anatomicam non sufficere ad
omnes morbos detegendos. Quare iterum erit insufficientis
auxilium. *Tertio*, natura morborum imperfecta tantum sectione
anatomica cognita redditur. Id enim quod §. VIII. de sensibus
ad n. 2. annotavi, de sectione quoque anatomica valebit. Non-
nulla

nulla tantum, non omnia de natura morborum per eandem intelliguntur. Dum sectio anatomica sensuum testimonio cognitam reddit morborum naturam (§. anteced.); sensus vero nonnulla tantum de natura morbi, non omnia ostendunt (§. VIII. n. 2.): sequitur, sectionem anatomicam aequè minus, ac sensus, sufficere, quando integram morborum naturam inuestigare studemus. Quamobrem quoque hanc ob causam insufficientis erit auxilium. Notat *Illustris de HAEN* (Rat. med. Part. VII. Cap. III.), sectiones anatomicas in corporibus, hydaridibus mortuis, a longo iam tempore susceptas, hinc toties repetitas, nondum tamen efficere potuisse, ut certa hydatidum Pathologia strui queat, ostenditque, omnes receptas de iisdem theorias ita esse comparatas, ut multis magnisque dubiis congruum relinquunt locum. Atque, quem fugere potest, multoties contingere, ut morbus, per sectionem anatomicam cognitus, nihilominus multa contineat, quae comprehendì, quae explicari nequeunt? Confer e. g. casus sectionum anatomicarum, quos recensuit *Illustris de HAEN* l. c. Part. VI. Cap. IV. et aliis pluribus Rationis medendi locis. Quarto, sectio anatomica nos tantum de statu morbi, quatenus mortem induxit, certiores reddit: omnem illius statum exhibere non potest. Docuerunt sectiones anatomicae, in subiectis, apoplexia demorruis, cerebrum modo sero, modo sanguine effuso fuisse inundatum. Recte exin colligis, effusionem liquidi serosi aut sanguinis ita factam, ut cerebrum hisce fluidis repleatur, causam apoplexiae lethalis esse. Quodsi vero exinde concludere velles, omni

omni in statu apoplexiae adesse hanc fluidorum, quae dixi, extrausationem, seu, quod idem est, apoplexiam oriri non posse, nisi fluida nominata effundantur: toto tunc coelo a veritatis tramite aberrares, cum vel ipsa experientia hocce reiicitur iudicium. Nunc cognitio morbi requirit cognitam illius naturam, quae procul dubio manca tantum ratione intelligitur, si morbus non omni in statu notus sit (§. III.). Dum ergo sectio anatomica non omnem morbi statum declarat, nil est, nisi insufficientis ad cognoscendos morbos auxilium. Vtinam Medici haec, quae dixi, semper ponderassent! Vtinam statum morbi a morte per sectionem anatomicam inuentum, non confudissent cum statu morbi perennante adhuc vita praesente! Quam multa commenta, quam falsae explicationes Pathologiae minus fuissent inuectae! *Quinto*, sectio anatomica multa saepe ostendit, quae proprie ad naturam morbi non pertinent. Sic notum est, polyposa concrementa in corde, in vasis sanguiferis, a morte ob sanguinem coagulatum nasci, quae ergo ad naturam morbi, quo aeger mortuus est, proprie referri nequeunt, nisi iam, praeter sectionem anatomicam, alia principia haberes, e quibus diiudicare posses, an eiusmodi inuenta concrementa ad naturam morbi, lethali euentu soluti, pertinerent, aut non? Undenam, quaeso, id concludere valeres? Patet itaque de nouo, sectionem anatomicam, per se sumtam, ad intelligendos cognoscendosque corporis humani morbos insufficientis esse auxilium. Satis ergo huius auxilii insufficientiam demonstratam esse arbitror.

§. XI, *Ad tertium accedo adminiculum, quod cognitionem caussarum morbificarum respicit. Demonstrant Philosophi, quamlibet caussam testari de suo effectu. Causae itaque morbificae testabuntur de morbo. Hinc ergo ex cognitione caussarum morbificarum concludere possum, 1. ad praesentiam morbi in subiecto quodam. Posita enim causa sufficiente ponitur effectus sufficiens. Fac ea propter, te cognoscere, subiectum causam quandam sufficientem morbi admisisse: nonne colliges exinde omni qua fieri potest certitudine, morbum adesse? Valida e. g. cordis irritatio efficit organum massae sanguineae. Pone iam, subiectum quoddam maiori, quam ferre potest, copia spirituosâ ingurgitare: concludes hinc, fore ut sanguinis oriatur ebullitio, Cognoscas porro, subiectum quoddam coniunxisse diacram lautam cum vita sedentaria, atque ceterum sanum esse: nonne tunc ad plethoram concludes? Quae cum ita sint, patet, ex cognita causa morbi sufficiente, nos ad morbi in indiuiduo quodam praesentiam omni possibili certitudinis gradu colligere posse.*

2. *Ad naturam morbi. Dum scio, quidquam esse causam morbi; dum modum etiam agendi causae morbificae intellectum habeo: hinc concludo determinationes, quae ob praesentem causam morbo competere debent, seu, quod idem est, morbi naturam exinde deduco (§. III). Notum est, febres putridae ex retropulsa transpiratione, ex represso sudore nasci. Verum hinc etiam cognoscitur natura istarum febrium, dum effectus*

C

adno-

adnotantur, qui ex perspirabili materia, ad sanguinem regressa, oriri possunt. Cognitum est, omnia, quae vasa stringunt et motum simul intendunt in massa sanguinea, causam inflammationis sanguineae in vasis sanguiferis suppeditare. Colligo exinde, naturam eiusmodi inflammationis in eo consistere, ut obstructio, simulque motus sanguinis versus particulam obstruentem valde intensus, adsit. Quodsi nunc haec omnia, quae dixi, rite perpendas, patebit exin, a cognitione causarum morbificarum ad praesentiam morbi eiusque naturam iustam valere consequentiam, quae simul cerro certius ex cognitis istis causis deduci poterit. Cognitionis ergo causarum morbificarum erit ad cognoscendos morbos verum auxilium.

§. XII.

Ut tamen huius etiam auxilii nimis frequens pateat insufficientia, sequentia tantum notanda occurrunt. *Primo* multarum causarum morbificarum verus agendi modus adhuc latet. Ut naturam morbi ex cognita causa intelligamus: opus est, ut modum agendi huius causae exploratum habeamus (§. ant.). Latente ergo hoc, latebit etiam natura morbi, licet causa illius aliunde nota sit. Quam multarum vero causarum morbificarum modus agendi latet! Quis detexit, qua fiat ratione, ut unico pronunciato verbulo sensorium commune ita adficiatur, ut epilepsia oriatur? Quis omnium venenorum agendi modum in corpore humano adeo distincte, adeo sufficienter exposuit, ut nullo dubio irresolubili relinquatur locus? Quis agendi

agendi modum omnium caussarum, quae praeternaturalem motum fluidorum intestinum inferunt, stabilivit? Quis latentes omnes aëris nociuas qualitates ita demonstravit, ut earum modus agendi in corpus humanum erui inde possit? Later ergo multarum caussarum morbificarum agendi modus in corpus humanum. Hinc non ex omni caussarum morbificarum cognitione morbi natura intelligi potest. Quare insufficiens hactenus erit adminiculum. *Secundo* saepe fit, ut a causa morbifica ad morbi naturam tuto et certo concludere non possimus, licet modus agendi causae morbificae sat cognitus sit. Suppressa transpiratio causa est spasmi. Pone, nihil te de natura spasmi scire; sed eandem ex cognita adducta illius causa deducendam esse. Quomodo hoc perages? Proponis tibi modum agendi huius causae, hincque concludis ad determinationem et naturam morbi (§. ant.). Suppressa transpiratio auget quantitatem massae serosae, et acris in fluidis oberrantis; efficit etiam congestiones modo in his, modo in aliis corporis humani locis. In his ergo consistit modus agendi illius, quam adduxi, causae morbificae. Perge nunc in eo, quod suscepisti, scrutinio. Colligis, ex modo agendi causae morbificae, causam, quae serum et acre in corpore auget, quaeque congestiones efficit, causam esse spasmi. Inde vero porro: spasmus requirere, vel copiam feri nimis auctam, vel acre abundans in corporis humani fluidis, vel congestionem fluidorum ad determinata loca, vel omnia simul. Hoc, praeterea quae nihil, ex cognita illa spasmi causa concludere poteris. Nondum tamen intelligis naturam

C 2

morbi;

morbi; dubium itaque non est, quin ex cognita causa morbifica, eiusque intellecto agendi modo, non semper naturam morbi omnimodam declarare possimus. Iterum ergo pater, cognitionem causarum morbificarum insufficiens saepe esse ad cognoscendos morbos adminiculum. *Tertio*, vnus idemque morbus saepe a pluribus causis remotis, contraria ratione agentibus, proficiscitur; vnde facile denuo euenit, vt, licet causae illae vna cum suo modo agendi cognoscantur, natura nihilominus morbi incognita maneat. Spasmus e. g. oritur tam a transpiratione nimis aucta, quam eadem nimis imminuta. Ergo a causis remotis, contraria ratione agentibus. Dum ergo hoc obseruas, neque aliunde spasmi naturam intellectam habes, dubius omnino haerebis in euincenda spasmi natura et cognitione causarum illarum remotarum. Non erit itaque omnis causarum morbificarum cognitio ad cognoscendam morbi naturam sufficiens. *Quarto*, gradus actionis causarum morbificarum in corpus humanum saepe ignorantur. Quis enim affirmare sibi que sumere potest, se omnium causarum morbificarum actionem ita determinare posse, vt huius gradum assignet? Nihilominus hunc determinare exacte, saepe necesse est, quando ex cognitis causis morbum cognoscere, volumus. Constat ergo iterum, solam causarum cognitionem ad morbi exactam cognitionem non semper sufficere. *Quinto*, causae morbificae non omnem morbi naturam declarant semper, sed illius tantum partem. Declarant enim ea tantum morbi praedicata, quae ex causarum praesentia fluunt, neuiquam ea, quae ex morbo ipso deduci debent.

debent. Dum ex valido sanguinis orgasmo naturam enormis inde factae haemorrhagiae euinco: quasdam quidem illius determinationes cognoscere possum, sed adhuc aliae remanent, quas inde deriuare non possum; v. g. collapsum vasorum, stases, febrem lentam et hecticam, mortem subitam, quatenus ab haemorrhagia enormi pendent; ex orgasmo sanguinis perspicere plane nequeo. Quum itaque cognitio causarum morbificarum saepe non omnem morbi naturam declarat; erit etiam insufficientis ad cognoscendos morbos auxilium. Demum *sexto* causae morbificae saepe ipsae latent. Omnis nempe morbi causa est vel proxima, vel remota. Proxima, utpote in corpore ipso praesens, aequae difficulter cognoscitur frequentissime, ac morbus ipse. Causa remota modo praedispiciens est, modo occasionalis. Vtraque, docentibus id observationibus, saepissime later, neque cognosci potest. Nonne itaque cognitio causarum morbificarum satis insufficientis esse debet, ad cognoscendas corporis humani aegritudines, auxilium? Credo, omnia, quae adduxi, sufficienter hocce meum assertum demonstrauisse.

§. XIII.

Ad quartum pergo adminiculum, quo et natura morbi, et praesentia in aegro deregi potest. *Symptomata morbi eorumque cognitio* hocce adminiculum praebent. Symptomata morbi sunt effectus morbi, qui sensibus usurpari possunt. Nunc quilibet effectus testatur de sua causa; ergo morborum symptomata testabuntur de morbo ipso. Possumus itaque ex symptomatum consideratione intelligere 1. praesentiam morbi in individuo

quodam. Positis enim effectibus, ponuntur causæ, vnde effectus proueniunt. Dum itaque symptomata, morbo cuidam competentia, obseruantur; summa cum certitudine inde ad præsentiam morbi concludere possumus. Obseruato spasmo, in peripheria concitato, huncque excipiente motu massæ sanguineæ intenso, ad febris præsentiam concludimus. Ab exanthematibus ad præsentiam morbi exanthematici, ex dolore ardente, rubore partium, pulsû arteriarum valido et signis febris, ad præsentiam febris inflammatoricæ concludimus. Atque eodem modo in variis aliis casibus præsentiam certi cuiusdam morbi indagare solemus.

2. *Naturam certi cuiusdam morbi.* Qualis enim est effectus, talis etiam exinde dependet causâ. Ex symptomatibus ergo morbi prædicata eruiere possumus, hinc illius naturam (§. III.). Dum symptomata febris cognoscuntur, hinc eius naturam intelligere possumus. Dum apoplexiæ symptomata accurate obseruamus: illius adnotamus naturam, hancque exin euoluere valemus. Quum igitur ex consideratione symptomatum morbi, non solum præsentia morbi, sed huius etiam natura deregi queat, idque maxima cum certitudine: concedi etiam debebit, symptomatum morbi cognitionem verum esse quoddam auxilium, quo Medicus ad perspiciendas corporis humani aegritudines uti possit. Atque hoc adeo est certum, vt magni Medici non sine ratione iudicauerint, ipsi maximam in cognoscendis morbis potestatem adscribendam esse.

§. XIV.

Non tamen est hocce auxilium omnibus numeris absolutum. Dantur limites, quibus circumscribitur, quos adferre et penfitare necessitas iubet. *Primo* considerare debemus, symptomata morbi in quolibet aegro differre, neque vnā semper eandemque prae se ferre faciem. Quantum vnus eiusdemque febris symptomata in diuersis subiectis variant! Attentus ergo vnice ad symptomata morbi, quae in pluribus subiectis obseruas, nimis facile errabis. Quum enim diuersa deprehendis symptomata: diuersum etiam morbum esse iudicabis, licet vnus idemque sit, accidentalibus tantum quibusdam rebus a se diuersus. Cognoscitur hinc, solam symptomatum cognitionem ideo insufficientem esse ad intelligendos morbos auxilium. *Secundo* nonnunquam fit, vt symptomata morbi ad sensum adeo accurate cum symptomatibus alius morbi conueniant, vt congrue a Medico distingui non possint. Durities tumoris symptoma tumoris est scirrhusi. Caue vero existimes, hoc sufficiens eiusmodi tumoris praebere signum. Dantur enim tumores, qui fluidam continent materiam; nihilominus duri. Fit id imprimis, quando membrana, qua inuoluitur materia, duritiem contrahit. Tunc ergo mollis eiusmodi tumor contraxisse videtur naturam tumoris, qui vero abest, scirrhusi. Non sufficit ergo tunc cognitum illud symptoma ad cognoscendam veram tumoris naturam. Erit eapropter cognitio symptomatum morbi saepe ad cognoscendos morbos insufficientis. *Tertio*, distinctio symptomatum morbi necessariorum et accidentalium saepe fatis est

est difficilis. Symptomata morbi accidentalialia abesse et adeste, salua manente morbi natura, possunt. His itaque ad intelligendam et perferendam morborum naturam congrue vti non possumus. Ad hoc itaque perficiendum, cognitione necessariorum morbi symptomatum opus est. Quodsi ergo distinctio symptomatum in necessaria et accidentalialia satis congrue perspicitur nequeat: fiet tunc, vt iudicium, de morbi natura latum, minus firmum sit. Eiusmodi vero casus saepe occurrunt in morborum epidemia. Noui enim, qui haud raro tunc occurrere solent, morbi, non permittunt, vt Medicus statim diiudicare queat, an comperta symptomata accidentalialia sint, aut necessaria? Integerrimi Medici hac de re saepe conqueruntur. Nonne vero hoc de nouo demonstrat insufficientiam huius auxilii ad cognoscendos morbos? *Quarto*, cognitio symptomatum morbi, quibus ad cognoscendum morbum vti possemus, saepe obsecuratur. Dolet hoc *Illustris de HAENI* respectu aneurysmatis, dum *Rat. med. Part. V. Cap. VI. §. II. cognitio aneurysmatis*, inquit, *utinam certior esset, signis que munita pathognomicis, desisteret turpissimis erroribus ansam praebere*. Exempla, quae in subsequentiis affert, magis id confirmant. Referunt maligni eiusmodi tumores saepe numero tumorem scirrhosum, cuius dein minus caute suscepta curatio malignitatem intus latentem quasi excitat. Quomodo ergo ad cognoscendos morbos sola symptomatum eorum cognitio sufficere potest? *Quinto*, variae morborum complicationes, compositiones, et mutationes efficiunt, vt minus certo ex symptomatibus solis morbi cognoscantur. Symptomata morborum

dif.

differunt pro ratione compositionis et mutationis morborum. Quodsi ergo in hisce casibus subortis sola attendis symptomata: facile fit, vt iudices morbum deesse, qui vere adest, alium adesse qui vere deest. Dum ad praesentem febrim putrida primarum viarum accedit saburra: adeo magna hinc obseruatur debilitas totius corporis, adeo insignis virium prostratio, vt forsitan haud pauci inde concluderent, febrim malignam metuendam esse. Omnis vero debilitas vnico dato emetico leniori tollitur, euanescit. Dum ab insigni plethora vires franguntur, symptomata maxime necessaria febris simul euanida redduntur. Male certe concluderes, febrim non adesse. Instituta venaesectio in eiusmodi casibus saepe docuit, vehementissimam adfuisse febrim. Consequenter hoc etiam respectu sola symptomatum morbi cognitio neutiquam ad cognoscendos morbos sufficere potest. *Sexto*, cognitio symptomatum ne omnem quidem morbi naturam declarat. Causae enim morbi, vera illius genesis, per sola symptomata intelligi nequeunt. Quamobrem itidem patet huius auxilii insufficiencia. *Septimo*, recensio symptomatum, ab aegris perficienda, saepe est incompleta. Quotidie id experientia testatur. Qua ergo ratione eiusmodi symptomatum recensione ad intelligendam veram morborum naturam cautus Medicus vti semper potest? Demum *octauo* hic quoque erit id repetendum, quod §. VIII. n. 3. iam adnotauimus. Vt enim morbos, ita symptomata quoque malitia hominum saepe fingit. Neque prudentissimus etiam Medicus dolum quocumque in casu detegere valet. Merito ergo ex his concludo, praedictum auxilium, ad morbos corporis humani cognoscendos commendatum, insufficiens tantum esse.

D

Sic

Sic ergo praecipuum cognitionis morborum fundamentum infirmum reperitur!

§. XV.

Sequitur iam quintum adminiculum, quod *iuuantia* et *nocentia* exhibent. *Iuuantia*, relata ad morbum, dicuntur remedia, quae morbi magnitudinem imminuunt; *nocentia* respectu morbi, vocantur remedia, quae morbi magnitudinem adaugent. Vtraque remediorum species fundamentum praebet, cui morborum medica cognitio superstrui potest. Quod enim iuuantia attinet, ex eorum cognitione concludere possumus 1) *ad naturam morbi*. Iuuantia enim, prout definitio eorum docet, morbi magnitudinem imminuunt. Hinc morbi partem tollunt. Quod si nunc ex iuuantium cognitione hanc morbi partem cognoscere possemus: tunc ex omnibus iuuantibus simul sumtis totius morbi naturam, quantum fieri potest, cognosceremus. Illud autem fieri omnino potest. Sumo enim actionem iuuantis; comparo eandem cum modo illius agendi, atque hinc colligo ad partem morbi, quae imminuta est. Dum e. g. per experientiam cognosco, corticem Peruvianum et opium in nonnullis febribus intermittentibus ita agere, ut absque aliis remediis resolventibus, temperantibus et excernentibus febrim tollant intermittentem: hinc concludo, febrim illam intermittentem non potuisse a materia quadam, in vasculis, ut vulgo assumitur, haerente, originem suam sumere. Nunc scio simul, corticem Peruvianum debile genus nervosum robustum reddere; opium spirituum animalium enormes motus sopire. Haec cum prioribus connexa ostendunt, dari febres intermittentes, quae ab irregulari fluidi neruei motu ori-

ori-

oriuntur. Perficere sic ex iuuantium actione morbi possumus naturam. Aliunde vero iam cognita morbi natura hinc magis corroboratur. 2) *Ad praesentiam morbi in indiuiduo quodam.* Dum enim recordor, hoc vel illud remedium in cerro quodam morbo fuisse iuuans; simul autem cognosco, idem in hoc morbo, quo praesens quoddam detinetur subiectum, iuuantis instar agere: hinc concludo, eundem morbum in hoc subiecto praesentem esse. Si quis e. g. dubius haeserit, an in aegro quodam adsit aut scorbutus, aut lues venerea, cognoscit autem, mercurialia morbum imminuere et mitigare; desinet sane tunc ambiguum ferre iudicium, atque concludet, luem veneream adesse. Dum exemplum, quod n. 1. dedi, in speciali casu obseruatur, ex iuuantibus colligi poterit, febrim intermittentem praesentem eius esse speciei, quae ex irregulari fluidi nervei motu proficiscitur. Ergo a iuuantium intellecta actione ad praesentiam determinati cuiusdam morbi in indiuiduo quodam certa poterit consequentia manere. Remedia itaque iuuantia suppeditant, in cognoscendis morbis, adminiculum.

§. XVI.

Facilius hoc de *nocentibus* ostenditur. Quoniam enim eiusmodi sunt remedia, quae morbi magnitudinem adaugent (§. anteced.): caussarum instar morbificarum repraesentari possunt. Nunc cognitio caussarum morbificarum inferuit cognitioni morborum (§. XI). Quod itaque de nocentium remediorum cognitione quoque valebit. Dum obseruamus, in nonnullis febribus exanthematicis temperantia data, venae sectionem administratam, nocuum exferere effectum: hinc concluditur, dari febres exanthematicas, in quibus impetus humorum ad corporis

peripheriam vel excitandus, vel saltem non est imminuendus. Dum observatur in aegro, vel scorbutico, vel venereo, acida nocere, mercurialia vero conducere; ad praesentiam luis venereae colligitur. Ex nocentium itaque actione cognita, ad morbi naturam praesentem in aegro concludere valemus. Quare etiam dubium non est, quin nocentia aequae, ac iuuantia, morbi cognitioni inferuire possint (§. anteced.).

§. XVII.

Non tamen hanc ob rem (§§. XV. XVI.) affirmari potest, hocce auxilium semper esse sufficiens. Etenim *primo* non semper tam iuuantia, quam nocentia, a Medico cognosci possunt. In tanto enim medicamentorum et remediorum apparatu iuuantia et nocentia plerumque non facile deteguntur. Ut iam de eo nil dicam, quod nocentia, quae ipse aeger aut adstantes vsurparunt, plerumque reticeantur. *Secundo*, adhiberi possunt remedia iuuantia, quae tamen ob aegri conditionem nocent: vsurpari possunt remedia nocentia, quae, ob alia simul in auxilium vocata, iuvare videntur. Quam saepe enim fit, ut vel ob dispositionem aegri, vel ob incongruum vitae regimen, optimorum etiam remediorum virtus labefactetur ita, ut salutis loco noxam corpori adferant? Quam frequenter contingit, ut actio vere nociuorum in morbo quodam remediorum auxilio aliorum supprimatur? Venae sectionis egregius saepe numero in febribus effectus tollitur malo vitae regimine; opii in pluribus febribus noxa largiore nitri, acidulorum, aliorumque temperantium vsu ita saepius mitigatur, ut salutem potius, quam noxam adferre videatur. Constat itaque ex his, quam insufficientis sit hocce auxilium ad mor-

bes

bos cognoscendos. *Tertio*, complicatio morborum huius auxilii virtutem saepissime insufficientem reddit. Remedia, in morbo iuuantia, in eius cum alio complicatione nocentia fieri possunt; atque nocentia contra ea iuuantia, sub determinata morborum complicatione, euadunt. Lui venereae mercurialia, tanquam iuuantia, competunt; nocebunt nihilominus, quando haec lues cum scorbuto complicata existit. In inflammationibus opium nocium exserit effectum: quando vero sub passione iliaca inflammatio a spasmo intestinorum prouenit, opiatum eiusmodi remedium excellentis plane est virtutis. Docent ergo haec, quam insufficientis sit sola iuuantium et nocentium cognitio, ad morbos corporis humani cognoscendos, auxilium. *Quarto*, iuuantium et nocentium verus agendi modus later. Vt ex iuuante et nocente vera morbi natura declaretur, opus est, vt actio horum remediorum in corpus humanum constet (§. XV. XVI). Latente ergo hac, latebit quoque morbi natura, licet iuuantia et nocentia sufficienter cognita sint. Quam multorum vero remediorum et medicamentorum modus in corpus humanum agendi Medicos fugit? Dum omnimoda opii in fluidum nerueum actio exacte determinari nequit; quis, quaeso, ex opii nocente et iuuante virtute neruorum morbos, respectu suae naturae, euoluere sibi sumet? Iterum ergo non sufficiet ad cognoscendos morbos sola iuuantium et nocentium cognitio. *Quinto*, nonnunquam fit, vt ex cognitis etiam iuuantibus et nocentibus minus tamen exacte natura morbi cognosci queat. Quis ex nocente in febribus opio naturam febrium ira deducet, vt omni dubitatione maior sit? Quis ex nitri in spasmodis vsu horum naturam exacte declarabit? Vi-

des ergo de nouo, iuuantium et nocentium cognitionem non sufficere ad morbos cognoscendos. *Sexto*, ne tota quidem morbi natura hoc auxilio deregi poterit. Dantur enim iuuantia et nocentia, quae partem tantum morbi, non totum morbum aut imminuunt, aut exacerbant. Haec itaque tunc morbi pars ad summum, non vera tota illius natura exinde cognosci poterit. Quamobrem *faris de huius auxilii insufficientia dixi.*

§. XVIII.

Ad sextum iam pergo auxilium, quod *attenta historiarum morborum lectio* suppeditat. Historia morbi, quae vere ita dici potest, omnia illa continet momenta, quae ad medicam illius cognitionem sunt necessaria; causas itaque, symptomata, usum et noxam remediorum, &c. Quum ergo exinde ad naturam non solum morborum (§§. XI. XIII. XV. X.VI.), sed etiam ad praesentiam certi cuiusdam morbi in indiuiduo quodam colligere possimus: pater, hocce auxilium verum esse ad cognoscendos morbos auxilium. Quam facile hoc concedent, qui HIPPOCRATIS, SYDENHAMI, HOFFMANNI, BOERHAAVII, aliorumque celeberrimum Medicorum aeternitate digna perlegunt aurea monumenta!

§. XIX.

Quam valde vero huius auxilii dignitas et vtilitas est restricta! Quam limitata! *Primo* in historias morbi, egregie alias conscriptas, multa cadunt, quae superius adnotauimus. Quae de sensuum testimonio, de sectione anatomica, de causarum, symptomatum morbi, iuuantium et nocentium cognitione, eiusque insufficientia ad cognoscendos morbos diximus (§§. VIII. X. XII. XIV. XVII.)

XVII.), ea quadrabunt etiam in historias morbi, dum ex his modo profluunt, modo comparantur (§. XVIII.). *Secundo* notum est, non omnes morbos corporis humani ita descriptos esse, neque, dum semper noui obseruantur, describi posse. Erit ergo insufficiens auxilium. Quam saepe fit, vt morbi, epidemici potissimum, occurrant, in quibus ne versatissimi Practici detegere possunt, ad quosnam cognitos morbos referri possint? *Tertio* insignis adhuc est bonarum morborum historiarum penuria. Quam saepe hoc docuerunt Medjci! Dum vero hoc obtinet, pro sufficienti quoque ad cognoscendos morbos auxilio venditari historiae morborum non possunt. *Quarto*, historiae morborum saepe viciosè componuntur, ita, vt fide vix dignae videantur. Satis frequenter id docet experientia. Quid vero ex eiusmodi morborum historiis, ad naturam morborum quod spectat, deducere certo valebis? *Quinto*, maxime notari hic debet, historiam morbi desumi ab aegris, qui idiosyncrasia valdè pere a se inuicem differunt. Multa tunc in historia occurrunt, quae ad idiosyncrasiam potius, quam ad naturam morbi pertinent. Satis itaque tunc historiis morborum fidens, nimis facile saepe errabis, dum symptomata idiosyncrasiae cum symptomatibus morbi confundis. Verum quidem est, quod vitium hocce, frequentia obseruationum, circa vnum eundemque morbum captarum, imminui, quid? quod plane tolli queat. At non omnes morbi tam frequenter obseruantur, vt obseruationes toties, quoties necessè est, repeteri queant. Quodsi nunc cum his, quae num. 2. 3. 4. 5. adnotauimus, coniungas ea, quae per demonstrata num. 1. cum iisdem coniungi debent; facile tunc, credo, concedes,

des, historias morborum non omni ex parte pro sufficienti ad cognoscendos morbos corporis humani auxilio habendas esse. Nimis facile foret multa aliorum Medicorum asserta, quae id confirmant, adducere. Res vera ipsa loquitur; neque opus ideo esse censeo, aliorum sententias hac de re colligere atque adferre.

§. XX.

Historias morbi nunc septimum auxilium excipiat, quod in *similitudine morborum cum aliis* positum est. Novi nonnumquam occurrunt morbi, qui quidem non iisdem cum aliis sunt, magnam tamen similitudinem cum iisdem habent. Quodsi nunc hi morbi iam cogniti sint: tunc ex similitudine ista ad similitudinem naturae morborum concludere possumus. Atque sic iam veterum Medicorum quidam iudicabant, dum ex cognitis morbis minus cognitos eruendos esse volebant. Possumus ergo ex similitudine morborum, naturam eorundem cognoscere. Sed hic quoque praesentia morborum in indiuiduo quodam intelligi potest. Dum enim similia phaenomena obseruo, ad praesentiam similis morbi concludo. Patet ergo ex adductis, morborum similitudinem verum quoddam ad cognoscendos morbos suppeditare auxilium (§. III.). Sic, qui curarunt morbos epidemicos, ex horum cum aliis magis cognitis aegritudinibus similitudine, tam ad naturam, quam methodum medendi concluderunt, quod vel ex ipsis SYDENHAMI scriptis sufficienter cognosci potest. Neque etiam aliud auxilium Medico datum est, quo reconditorum morborum naturam feliciter indagare posset.

§. XXI.

Attamen limites suos habet hocce auxilium. Nam, primo, eo natura morbi tantum imperfecte cognoscitur. Quae enim similia sunt, non sunt eadem. Quare ex similitudine morbi cum alio similem quidem naturam, non vero eandem deducere possumus. Hinc natura incogniti morbi multa adhuc continebit, quae ex cognito morbo euinci nequeunt. Purpura, dum obseruatur, multa ostendit cum aliis febribus et morbis exanthematicis communia. Multa tamen habuit singularia, quae ex aliis morbis exanthematicis deriuari non poterant. *Secundo*, saepe numero morbi noui occurrunt, qui cum cognitis vix obseruabilem habent similitudinem. Saepius hoc de morbis epidemicis relatum inuenimus. Tunc vero hocce auxilium adhiberi non potest. *Tertio* saepe fit, vt morbus incognitus cum aliis pluribus morbis cognitis similitudinem habeat, quo in casu dubii saepe numero haerebimus, cui morborum speciei morbus incognitus adnumerandus veniat. Vide huius rei exemplum in *Illustr. de HAEN Tract. de Februm diuisione*, vbi pag. m. 106. exemplum adfert febris epidemicae, quae vix ad vnā notarum februm speciem referri poterat, idque ideo, quod cum pluribus conuenientiam habebat. *Quarto*, ipsa nonnunquam similitudo morborum difficulter detegitur. Ex causis, symptomatibus, inuantibus et nocentibus morborum similitudo inprimis eruitur. Quam facilis vero hinc error et difficultas enasci possit, ex disputatis §. XII. XIV. XVII. colligi potest. *Quinto*, fieri potest, vt nouus morbus ideo in subiecto quodam cum alio magis

E

noto

noto similitudinem habeat, quod idiosyncrasia subiecti concurret. Errares ergo tunc, si concludere ex obseruato casu velles, hanc similitudinem esse veram et generalem. Neque semper contingit, vt morbi noui toties obseruari queant, quoties ad firmum iudicium formandum opus esset. Est ergo et hoc auxilium ita comparatum, vt sufficiens dici nequeat.

§. XXII.

Vltimum et octauum adhuc indagandum restat ad cognoscendos morbos auxilium; hoc *cognitionem physiologicam corporis humani* inuoluit. Physiologia tradit integritatem functionum corporis humani. Morbus supponit statum in corpore isto, vnde functiones laeduntur. Morbus ergo oppositus est functionum integritati. Oppositorum autem ea est ratio, vt semet ipsa declarent. Ergo morbi natura ex integritate functionum perspici poterit. Dum ergo Physiologia integritatem functionum corporis humani tradit, morborum simul cognitioni inferuit. Quare cognitio physiologica functionum corporis humani auxilium erit, quo morbi naturam cognoscere possumus. Verum eodem etiam auxilio morbi in indiuiduo quodam praesentiam detegere possumus. Dum Physiologia ostendit, quae nam momenta ad statum corporis humani sanum requiruntur; ex eorum absentia ad praesentiam morbi concluditur. Dum porro laesas functiones conspiciamus et expendimus: hinc ad praesentiam huius potius, quam alius morbi colligimus. Physiologia itaque hac ratione erit comparata, vt solida illius cognitio non solum naturae,

naturae, sed etiam praesentiae morborum indagandae inferuiat. Quapropter verum erit ad cognoscendos morbos auxilium. Ex Physiologia constat, causam motus in massa sanguinea haerere in actione cordis et arteriarum. Nunc in febre augetur motus massae sanguineae; concludo ergo hinc, mediante Physiologia, in omni febre adesse motum cordis et arteriarum auctum. Perspicio sic ex Physiologia naturam febris. Dum porro ex Physiologia recognosco, requiri ad statum sanitatis, vt excretio fiat aluina, hancque peragi mediante motu intestinorum peristaltico; exinde ergo, atque ex obseruato huius excretionis in subiecto quodam defectu, colligo, non solum adesse morbum, sed eum quoque in languore motus intestinorum peristaltici, quacunque demum ex causa suborto, consistere. Sic ergo, mediante Physiologia, morbi praesentia in subiecto quodam detegitur. Cognoscitur ergo hinc, quam verum sit id, quod de Physiologia ante affirmavi.

§. XXIII.

Erit hoc quoque auxilium non sine limitibus. Etenim *primo* Physiologia nondum omnibus numeris est absoluta. Quodsi Physiologia ad intelligendos omnes quosunque morbos vti vellemus, opus tunc esset, vt ipsa Physiologia perfecta sit. Natura autem seminis, fluidi neruei, irritabilitatis, sensibilitatis, actio corporis in producendis cogitationibus, aliaque innumera, quae in cognoscendis morbis maxime vtilia forent, latent. Non poterit ergo ex sola Physiologia omnium morborum



natura clare et distincte evolui. Erit itaque auxilium insufficientis. *Secundo* Physiologia, quae addiscitur, generalia tantum continet sanitatis corporum humanorum principia; specialissima cuiuslibet hominis sanitas indagari nequit. Hoc tamen necesse esset, si morborum exacta natura addiscenda esset. Quae enim Medico curandae offeruntur aegritudines, in individuis occurrunt, quorum idiosyncrasiae mutantur aliamque induunt formam. Haec ergo non nisi ex specialissima Physiologia, quae non datur, quaeque dari nequit, cognosci possent. *Tertio*, ne rota quidem morbi natura hoc auxilio detegi poterit. Quis enim omnes possibiles causas morbi remotas sic intelligit quocumque in casu, quae tamen ad naturam morbi pertinent? *Quarto* demum ipsa anatomia, cui innititur Physiologia, nondum satis est perfecta. Fit inde, ut Physiologia quoque imperfecta reddatur; cuius imperfectio efficit, ut Physiologia pro sufficiente ad cognoscendos morbos auxilio haberi nequeat (n. 1.). Quae cum ita sint, huius etiam auxilii insufficientia patet.

§. XXIV.

Penitentiam haec omnia illa auxilia, quae Medico ad cognoscendos morbos corporis humani data sunt, neque credo, me ullum verum omisisse auxilium. Ostendi tamen multis ex rationibus, quodlibet illorum insufficientis esse ad intelligendos quoslibet morbos adminiculum. Difficilem ergo esse morborum cognitio-

cognitionem, sufficienter exinde elucescit (§. V.). Negari equidem non potest, facilitari quodammodo morborum cognitionem, dum vel plura horum auxiliorum coniunguntur, vel Medicus, quem vno detegere valet auxilio morbum, alio magis congruo magisque certo cognoscere studet. Sed dantur morbi, qui vel omnibus coniunctis auxiliis rite detegi et cognosci non possunt. Morbi neruorum imprimis id testantur, quamuis eorum nonnulli satis certo cognosci queant. Et quid dicam de morbis epidemicis nouisque, adeo saepe absconditis? Qui, quae in antecedentibus exposui, ad varios morbos adplicat, longe plura hinc exempla facile sibi proponit. Ipsae etiam adeo lugubres quiritationes, quae saepius in felicissimorum Practicorum monumentis occurrunt, satis superque id euincunt. Restat adhuc, ut ea momenta, quae, praeter haec iam adducta, morborum cognitionem difficilem reddunt, afferam. Priora hinc maius nanciscuntur pondus. Referuntur vero huc potissimum sequentia, quae exponam.

§. XXVI.

I. *Immoderatus systematis amor.* Qui systema quoddam immoderate amat, is omnia, quae cum eo pugnant, reiicit; laudat quaecunque, quae cum eodem conspirant. Laudat et extollit systema, quamuis obseruata et fidelissimae experientiae idem refutant. Alienas obseruationes vel plane reiicit, si systema destruere videantur, vel easdem negare non ausus, tam diu torquet et retorquet, usque dum cum proprio systemate consentiant.

tiant. Quando propriae obseruationes systema fulcire et stabilire videntur, affert easdem; quando systemati repugnant, easdem systemati accommodat, contentus, si vel leui veritatis umbra consensum systematis cum obseruationibus ostendere valeat. Quis non exinde vider, absurdum eiusmodi systematis amatorem ineptum plane esse veritatis iudicem? Pone nunc, systema, quod adeo amatur, morborum respicere naturam: quid quaeso fiet? dum summum iam attingisse suae perfectionis cacumen ab inepto creditur amatore: hic non conabitur eius perfectionem adaugere; non curabit aliorum obseruationes, vel easdem minus recte diiudicabit; neque morborum naturas, quas emendatione semper indigere docui.

§. II. vltius perfectiores reddendas esse, respectu cognitionis medicae, censēbit. Dum ergo eiusmodi Medicus vltiorem morborum indagacionem non curat: hinc fit, vt impedimentum quoddam circa cognitionem morborum nascatur, quod magis adhuc illorum cognitionem difficilem reddit. Pro nullo fere hocce impedimentum habendum esset, si vel vnus aut alter Medicus esset, qui stulto erga systema amore ducitur. At, quod dolendum, nimis multi eiusmodi Medici dantur! Nimis late haecce lues serpit! Nimis altas, vnquam orta, agit radices! Possent haec per exempla ostendi, quae nouissima Medicinae historia fuscē suppeditat. Nolo tamen in hocce scripto vilius laedere partes. Sufficiet hic adnotasse, Veterum monumenta ideo ad hunc vsque diem celebrari, quod Vereres, nulli systemati addicti, morborum naturam ex obseruationibus, non propriis deduxerint systematibus.

§. XXVI.

II. *Neglectus habitus in obseruando.* Notum est, totam ferme Medicinam, et inprimis Pathologiam, obseruationibus inniti. Quis vero obseruationes recte instituere valebit, nisi habitu in obseruando gaudeat? Dum ergo Medici plurimi, vt habitum in obseruando impetrent, non curant: fit inde, vt obseruationes recte institui nequeant, solidissimumque cognitionis naturae morborum fundamentum infirmeretur. Nasceitur ergo hinc noua in cognoscendis morbis difficultas.

§. XXVII.

III. *Infortuniorum occultatio.* Demonstrari in superioribus, ex cognitione nocentium naturam morborum inclarescere posse. Verum vsus huius auxilii requirit, vt nocentia in morbo quodam nota sint. Haec autem saepe numero in recensendis morborum historiis occultantur. Dum ergo infortunia sua in medendo Medici supprimunt, neque, quacunque demum ex causa, palam faciunt: noua inde respectu cognitionis morborum oritur difficultas.

§. XXVIII.

IV. *Auxilia Medicinae subsidiaria multum adhuc imperfecta.* Physica, Chemia, aliaeque scientiae in explicandis morborum naturis adhiberi debent. Quum vero ipsae hae scientiae nondum absolutam perfectionem acquisuerint: facile etiam patet, fieri inde, vt cognitio morborum difficilior reddatur.

§. XXIX.

§. XXIX.

Negari non potest, plura hic adhuc adferri potuisse momenta, v. g. incongrua medendi methodus, complicationes et compositiones morborum, contradictiones in morborum historiis occurrentes, etc. quae omnia quoque difficilem reddunt morborum cognitionem. Omittenda vero duxi, tam quod ex antecedentibus haec diiudicari queant, quam, quod minus ex parte creent impedimentum. Quum itaque hac ratione iis satisfecerim, quae superius §. V. promissi, huic Dissertationi finem impono.




01 A 6530

ULB Halle 3
002 928 71X



V01860172





Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

8
7
6
5
4
3
2
1
19
18
17
16
15
14
13
12
11
10
9
8
7
6
5
4
3
2
1

DE
LI MORBORVM
GNITIONE

ORITATE ET CONSENSV
MEDICORVM ORDINIS
RAESIDE
A ELIA BÜCHNERO
OMANI IMPERII NOBILI,
RVSSIAE REGIS A CONSILIIIS INTIMIS,
SOPH. NATVR. PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
NIORE, REGIORVM ALVMNORVM EPHORO,
EMIAE NATVRAE CVRIOSORVM PRAE-
AR. SOCIET. SCIENTIAR. ANGLICAN.
ENS. ET MONSPELIENS. SODALI,
RADV DOCTORIS

MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
BVS LEGITIME IMPETRANDIS
CTOBRIS A. S. R. CIO IO CCLXIV.

PVBLICE DISPVTABIT
AVCTOR
VS GOTTLOB GVMPERT,
MEDERECIO - POLONVS.

HALAE AD SALAM
TERIS CVRTIANIS.

